

www.e-rara.ch

Quinti Horatii Flacci Poemata omnia

Horatius Flaccus, Quintus

Friburgi Brisgoiae, Anno 1549

Zentralbibliothek Solothurn

Shelf Mark: ZBS Staal 237

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-89747>

[In artem poeticam annotationes.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

inepte meo quidem iudicio. Et solent Poëtae quandoque modos ac tempora propter carmen confundere. Vltimum autem uersum Sapphicum cum Adonico, ut Acro exponat non uideo: & Porphyrius mutilus est commentarius. Alij autem non chorus Phœbi exponendum putant, sed supplenda quaedam: ut sit ordo, Chorus puerorum puellarumque, doctus dicere laudes Phœbi & Dianæ, reportat etiam domum bonam certamque spem, ut ego. Sed in hoc toto carmine uidetur popularis esse stilus, quemadmodum in Prologis Terentij aliam, quam in ipso actu uidemus phrasin.

FINIS ANNOT. IN EPOD. LIB.

IN Q. HORATII

ARTEM POETICAM, HEN. GLAR.

REANI ANNOT.

Pisones Calphurniorum cognomen, eximia familia, uiri que ex ea plures, maxime post bellum Macedonicum: inter quos L. Calphurnius Piso C. Cæsaris socer: & C. Piso Ciceronis gener. Prioris meminit Plutarchus in Cæsare: Posterioris ipse Cicero de claris oratoribus. Sed ego malim de ijs, qui sub Augusto uiuere Pisonibus, Lucio ac Cn. uiris consularibus intelligere. De Lucio plane intelligit Porphyrio. Filij, ut uocati, non legitur. Itaque ad patrem Lucium Pisonem ac eius filios scripsisse satis claret ex sequentibus Poëtae uerbis: Maxima pars uatum Pater, &

96 IN Q. HORATII EPODON
iuuenes patre digni: ubi inepte meo iudicio Acro expo-
nit, magister & discipuli. Ab initio autem huius operis
idem exponit, ad patrem & filium, uel ut alij dicunt, ad
fratres. Hæc ille. Adeo nihil apud hunc certi est.

¶ - cui lecta potenter erit res.
Hic libet rursus nostrum ridere annotatorem, tot uer-
bis in omnes doctos debacchatum, quicūq; datiuum mi-
hi per ablatiuū à me, & similia exponere solent. Nā per
ablatiuum ablationē significari, per datiuum acquisitio-
nem præcipit: quasi hoc nemo sciat: quanq̄ qualis est ac-
quisitio, cū dicitur: Paulo amputatur caput, & Socrati
eripitur pecunia, & in mille similibus? Verum enim uero
in hoc Virg. Cui non dictus Hylas: quare non liceat exa-
ponere, cui, id est à quo? Et ita Seruius. Et in hoc eiusdē:
Nemo ex hoc numero mihi nō donatus abibit: quid pro-
hibet exponere mihi per à me? Item in illo Horatii Sae-
tyra 2. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Hic scilicet tam
nobilis grāmaticus obstabit? Sed obstant ex authoribus
allegata exempla: minime. Neq; enim nos negamus re-
cte dici, lecta mihi, ut Quintilianus sæpe habet, & item
alij. Sed quod non liceat mihi exponere per à me, cum
additur passiuū participium, hoc quidem inficias inus.
Præterea quædam exempla perperam adducit: ut illud
ex ode 26. lib. 1. Car. Quis sub arcto Rex gelidæ metua-
tur oræ. Vbi ineptissime hic, gelidæ oræ, existimauit da-
tium esse casus, cum sit genitiui: ut in eam oden obiter di-
ximus. Et illud, cœco carpitur igni, eiusdem iudicat esse
casus

casus, cum sit ablatiui casus. Quod si mihi liberet in annotationibus ita spendide rhetoricari, ut hoc loco ille fecit, omnes Arcadas ac Bœotios uocans, qui eius non astipulentur sententiæ, ostēderem huic nugatori quā sit Atticus, imò quā sit audaculus, ut nihil aliud dicam. Sed aliud agimus.

¶ - Et præsens in tempus omittat.

Eiusdem acuminis est, quod ad hæc Poetæ uerba, idē prodidit. Placet mihi (inquit) ut præsens ad auctorem referatur, nō ad tempus, ut sit, præsens, id est, operi suo fauens: aut si ad tempus omnino referēdum est, fit talis ordo: Auctor plerātq; differat, & omittat præsens. s. tempus, in tēpus. s. aliud. Hæc ille doctē ut alia. Laurentius Valla lib. 4. Elegant. exponit in præsens tēpus, id est in suum tempus, & idoneum. Idq; mihi magis arridet.

¶ - Cum lingua Catonis & Enni.

M. Furius, qui & Censorius dictus est Cato, inquit Acro. In quibus uerbis M. Portius legendum, non M. Furius. Et quæ continuo sequuntur uerba eiusdem Acronis: Quod priores patres dixerunt, ego de Catone & Ennio intelligo. Deinde quæ eiusdem rursum sequuntur: Illi in suis carminibus posuerūt, & super hoc noua uerba inuenerunt: de Virgilio, Varioq;. Neq; enim Cato uulgaria carmina composuit, sed orationes ac historias, ut testatur Cicero de Claris Oratoribus. At hæc nō sunt tanti. Illud quod super hæc Poetæ uerba: Regis opus stertisq; diu palus: idem Acro dicit, corruptū putō. Nam cū

primum hoc de Pontina palude exposuisset, nō ita multo post de Lucrino portu refert intelligēdum. Sed sunt commixta commentaria, ut iam sepius indicauimus.

¶ Nedum sermonum stet honos.

Nedum sanè quàm eleganter pro, tantum abest ut, posuit: ut Terentius in Heautontimorumenō: Satrapes si fiet Amator, nunq̄ sufferre eius sumptus queat, Nedū tu possis. Non me latent, quæ lib. 2. de hac dictione à Val la præcipiuntur: at qui haud scio num quis ea ita seruauerit. Quod autem Badius negationem adijcit, atq; ita legit: Nedum sermonum haud stet honos, declinandum est, atq; fugiendum: imò ego admiratus sum uehementèr quid ei in mentem uenerit, cū hæc tam temere mutaret.

¶ Archilochū proprio rabies armauit lābo.

Primus Archilochus lambos scripsit in Lycamben generum suum. Hæc Porphyrio. Sed Socerum suum legendum, ipsius uerbis cōuincemus facile, quæ in sextam Odem Epodon scripsit, ad illud: Qualis Lycambæ spreus inuidio gener, Archilochum, inquit, significat. Si igitur Lycambæ gener fuit Archilochus, Lycambes eius erat socer. Ad hæc autem Poëtæ uerba, quæ mox hic sequuntur & populares Vincentem strepitus magis placeant quæ idem Porphyrio loquitur, quàm quæ Acro de plus merita laude argutatur.

¶ Telephus & Peleus.

Quæ hoc loco in Acronis leguntur Commentario de mendicitate Pelci & Telephi, à nebulone aliquo conficta

ficta suspicor. Et ipse Acro in Epodon 17. ode de Telepho magnificentius sensit. Mouct nepotem Te'ephus Nereium. Quidam etiam hunc locum interrogatiue legunt, ego enuntiatuue malim & projicit, id est, omittit exponere, ut Acro.

¶ - Dauus ne loquatur, an Heros.

Ita legit Aldus. At D. Erasmus Roterod. in Adagio Thiresia cecior, legit, Diues ne loquatur an Irus. Badius legit: Dauus ne loquatur, herus ne. Quidam etiam legunt, Diuus ne loquatur an Heros. Quas lectiones lectoris iudicio committo. Sunt enim omnes tolerabiles. Quod aut quidam codices habent: Dauus ne loquatur an herus, corruptum est: quippe herus primam corripit.

¶ - Thebis nutritus an Argis.

Nec inducas Argis natum (inquit Acro) aut Thebis facias imperitum. Hæc ille. Atqui si de Bœoticis Thebis ait, ut puto, nō uideo quomodo hoc quadret, cum Bœotij de stupiditate apud omnes male audiant. Vnde est Bœotium ingenium: ut sit sensus Thebis nutritus apud stupidos, an Argis apud solerteis. Badij liber ab ipso excusus, exponebat nutritus Thebis. s. in Thracia, ubi natura sunt periti, quod ego non capio.

¶ Si quid inexpertum scenæ committis.

In sex his carminibus Poëta, inexpertum, nouum, commune, ignotum, indictum, pro eodem mea quidem sententia usurpauit. Omnia enim hæc unam claudunt sententiam: ultimumq; carmen quarti expositio est.

Facit ad hoc idem Acronis de communi commentum. Et nota, communi proprium comparavit, cum statim post, publico priuatum.

¶ Publica materies priuati iuris erit.

Quinq; uero hoc loco uersus obscurum plane habet sensum. Publicam materiam intelligo, non, ut iam diximus, communem, intactam atq; indictam: sed contra a multis dictam, & in publico etiam nota ac celebratam: quam tamen priuatam posse fieri Poeta docet: quem admodum Virgilius Troianam historiam, quae publice celebrata fuit, & a multis scripta, tamen ingenio atq; inufitato genere elocutionis uelut sibi propriam fecit. Nec dissonat huic sensui Acronis expositio, quanquam intricata ea, nec fatis quod uult explicans. Videtur autem tria cauenda praecipere, ut publica materia priuati fiat iuris. Primum, si non circa uilem, patulumq; moraberis orbem, Secundum, Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus interpret, id est, tanquam hoc agas, quod fidus interpret agere debet. Tertium, Nec de filies imitator in arctum. Vnde pedem proferre pudor uetet, aut operis lex. Quibus uerbis corripit eum, qui nimiam adhibet curam in imitationem, de qua deijci saepe contingat pudore, aut operis lege. Quanquam, ut ingenue fatear, nullus commentarius mihi satis hoc explicat, quo minus haesitem. Porro de fido interprete sententia ab omnibus ita allegatur, quasi Horatius uoluerit dicere, non esse fidi interpretis uerbum uerbo reddere, cum Horatius con-

trarium

erariū sentiat. Qui ex publica materia, inquit, priuatā facere uelit, nō debere hoc facere quod fidus facere solet interpres: cuius officium est, q̄ maxime fieri queat, & linguarum patiatur proprietates, uerbum uerbo reddere. Quod omni etate uix quisquam feliciter fecit D. Erasmo Roterod. At nos ignorantie nostrae suffugium ex Poeta querimus, qui longè alia mente hoc dixit: etiam si non negem posse alio transferri.

¶ - Ut scriptor Cyclicus olim.

Hoc in loco de Cyclico adeo ineptit Acro, ut merito ipsum Cyclicum appellaueris: sicut paulo post de gemino ouo. Quae si ipsius sunt, ac non potius alicuius impostoris, nā ille egregie insanus est. Sed apud doctos non est dubium, multorum saepe hic esse racemationes.

¶ (Si plausoris eges aulae manentis.) *Aulae* autem dicta eo, quod in aula Attali regis inuenta sint deuicta eo, inquit Acro. Hoc ultimum ab aliquo indocto adiectum arbitror. Neq; enim Attalus hic, qui Eumenis fuit filius à Romanis deuictus fuit, sed amicus, populunū Rom. haeredem instituit. Diximus de ijs latius Ode. 1.

¶ (Reddere qui uoces iam scit puer.) Hic rursus noster annotator insigne temeritatis suae adfert testimonium. Putat enim pro qui, legendum cum, ut pro quando exponatur: alioqui Horatium uisum solos eos significari, qui ea ipsa facerent, gestire paribus colludere, non autem pueros omnes. Sed pudet plura eius referre uerba. Non uidit ille ab Horatio satis superq; prouisum

sum per particulam iam ut nō tam facile authori uerba
immutaret.

¶ Aut agitur res in scenis.

Dicere uult, omnē rem in populi conspectu uel agi,
uel actam ostendi. Agitur, ut puer in Andria exemplū
præbet acta ostenditur, ut uitium uirginis à Cherea
illatum. Hæc propter Acronis commentarium, simulq;
Porphyrionis corruptiōem diximus, & alios nonnullos,
qui hunc locum non recte explicant.

¶ Neue minor quinto, neu sit productior actu

Hoc de quinq; personis perperam Acro intelligit,
quandē codex potest esse corruptus. Mirum uero quā
& Acro, & Badius hoc quod statim sequitur exponāt.
Nec deus intersit nisi dignus uindice nodus inciderit, sed
ultima Acrois placet, ultimāq; Badij expositio, tunc nu-
minis personā inserēdam, quoties adeo difficilis res sit,
ut non nisi interuentu numinis explicari possit, aut nisi
maiora inoliāmur q̄ quæ humanis opibus effici possint.

¶ Actoris partes chorus, officiumq; uirile.

Authoris presserat Aldus. Sed non placet. Acro au-
tem si usquam alibi, certe hoc adeo delirat, ut absq; indi-
gnatione à nemine legi possint quæ hoc loco scribit. Sed
neq; Porphyrionis expositio mihi satisfacit. Res non
est omnino difficilis. illud tamen, uirile, lectorem mora-
tur, nec mihi satis intellectum.

¶ Tibia non ut nunc orichalco.

Quid tuba sit apud neminem puto ignotum, ex illo
potissimum Ennij. At tuba terribili sonitu taratantara
dicit.

dixit. Quid autem Tibia sit eius æmula nō itē clarum
 est. Ego phthongorum, non foraminum multitudine in-
 telligo. Neq; enim tuba foramina habet. Si quis etiā de
 magnitudine aut sonitus uehementia pūtet intelligi, nō
 admodum repugno. Quanq̄ diuersa hodie ut olim tibia
 rum genera in usu habentur, quædam superne inflātur,
 decem foraminibus ante & post, cōnumerato eo etiā
 ubi exit flatus. Sed & hæc duplices, quædam simpliciter
 superne inflantur in latum porrecto foramine, mitem
 reddentes sonum, quædam lingulis prominentibus, dua-
 bus uelut pennis, quæ ori imponuntur, atq; hæc proxi-
 me ad tubam, clamosum sonitum reddunt. Quædam su-
 perne inflantur foramine angusto ac rotundo, inferne
 sex aut septem foraminibus. Sed dure inflatiōis est hæc
 tibia, clamosa, & a longo gratior spacio. Sunt etiā ti-
 bie quæ transuerse inflantur, sex foraminibus disdiapa-
 son habentes, quas ego puto fistulas dici, ut hodie in bel-
 lis Germania utitur, & Heluetij quidam Germani Hel-
 uetias uulgo uocant. Verū quotusquisq; hodie est, qui
 inter fistulam ac tibiā discrimen ullum norit, aut apud
 Græcos inter αὐλὴν καὶ σὺριγγά. Et quod Plinius lib.
 7. cap. 56. inquit Fistulam Pan, Monaulam Mercurius,
 Obliquam tibiā Midas in Phrygia, Geminas tibiās Mar-
 syas in eadem gente inuenit, apud me nondum ita cla-
 rum est, ut nihil hæsitent, si quis ex me differentiam no-
 stra ætate scire uelit ut taceam de præcentorijs, ge-
 minis, uastis, miluinis, Thurarijs, simplicibus, Græce

monaulis, Aegyptijs, Sarranis, Gingrijs, Lydis, & si
 quæ aliæ à gentibus nomina habent, de quibus passim
 multi scribunt, sed pauci formas explicant. Sed illud ori
 chalco commentatores in uarias traxit sententias. Pora
 phyrio similimum bractæ aureæ putat, qua fistula ore
 netur: quod similius uero puto quàm quod Badius in
 strumentum facit ex orichalco. Acro etiam ex Varro
 ne ostendit tibiam olim quatuor fuisse foraminum. Gala
 lia hodie talibus utitur, & quædam Italiae partes, tria
 bus inferne & uno superne. Sed de his satis. Est item
 uincta à uincio legendum: non iuncta à iungo.

¶ Nondum spissa nimis cõplere sedilia flatu.
 Illud Nondum Acro coniungit ad utilis, hoc sensu,
 Nondū erat utilis tibia ad sedilia populi cõplenda, Cum
 Horatius ad spissa retulerit, hoc sensu: Tibia illa tenuis
 & simplex foramine pauco utilis erat ad complenda
 sedilia nondum spissa nimis.

¶ Indoctus quid enim saperet, liberq; laborū.
 Postquam cœpit esse indoctus populus (idem inquit)
 sine differentia cœperunt esse omnia. Fortasse edoctus
 legit Acro. Nam alioquin non intelligo. Sequentia etiam
 uerba de tibicinibus, mutila sunt. Et quod, liber, inquit,
 tam à ciuili bello, quam ab extraneo, mihi displicet: pla
 cet autem quod Badius ait, liber laborum, id est, paulò
 ante solutus à labore.

¶ Sic etiam fidibus uoces creuere seueris.
 Acro hoc loco, neq; sonum à modo aut numero recte
 separatum

separatum intellexit: cū soni sint phthongi, modi uero tropi: quos nostra ætas tonos uocat. Numeri uero sono rûmetra. Inter lyram uero & citharā innuit discrimen, sed obscure. Cū lyra trichodos tetrachodosq; frequenter, nostra ætate etiā hexachordos instituat. Cithara uero 24. chordis ferè. Illud porro quòd ait citharam olim fuisse monochordon, nusquam antea legi, nec puto esse uerum. Monochordon uero instrumentum, etiamnum hodie frequens uisitur.

¶ Verbaq; Pisones satyrorū scriptor amabo.

Satyrorum pro satyrographorum idem exponit: quod si est, ego malim satyrorum pro satyrarum dictū intelligere, bis enim antea ita intelligi potest à Poëta positum: & scriptor satyrarum coniungere. Alij tamē uerba satyrorum connectunt.

¶ Syluis deducti caueant me iudice Fauni.

Vix alibi tam ridicula dixit Acro atq; hoc loco, sed ab impostore aliqua assuta puto. Ideoq; non refellenda duximus.

¶ -Hic & in Acci Nobilibus trimetris.

Nobilibus, quidā putant his nomen fuisse quidā exponūt, tametsi nobiles apud plures existimētur, sintq; in multa laude, ac celebritate. Potest etiā fieri ut $\sigma\kappa\omicron\tau\tau\omega\mu$ hoc dicat, ut solet in alijs, uituperat enim eos, q; iambū raro habeant, cū hoc optimū iambicū sit carmē, quod plurimis incedit iambis, ut docent grammatici.

¶ In scenam missos magno cum pondere uersus.

His in tribus uersibus Poëta quatuor reprehendit
 in Iambico carmine, magnum sonum, operæ celeritatē,
 ac negligentiam, deniq; imperitiam. Et in uerbo premit
 intelligendum Iambus, ut recte Badius exposuerat. Sed
 noster annotator hic aliò eum propè auertit, qui solita
 audacia pro præpositiōe cum, legit, quod: Colligitq; or
 dinem à sexto carmine hoc modo: An iccirco uager scri
 bamq; licenter? an putem omnes uisuros peccata mea,
 quod, id est, quia non quiuis iudex, id est, quicumq; uia
 det immodulata poëmata, premit uersus missos magno
 pondere in scenā crimine turpi operæ nimium celeris
 carentis cura, & supple iterum, quod, id est, quia data
 est indigna uenia Romanis Poëtis. Hæc ille seuerus
 annotator. In quibus primum hoc inepte adnectit supe
 rioribus, an putem omnes uisuros peccata mea. Deinde
 negationem, non, putat determinare etiam uerbum pre
 mit quod præcedit in priore uersu, quod inauditum est
 Latinis auribus. Ego itaq; nouam sententiam ordior ab
 ipso aduerbio non, quasi diceret: Iambus omissus, q̄ de
 turpet carmen, non ab omnibus iudicari recte potest.
 Et Latini Poëtæ hac in re ut in alijs, multum licentiæ sibi
 usurparunt. Ego tamen ea de causa nolim uagari, licen
 terq; scribere, imo ita tutus, ac cautus intra spem ueniæ
 natura in uituperationem delictorum, q̄ in benefactorum
 laudem. Quod si etiam culpam uitauero, nullam
 tamen laudem merear, cuius gratia potissimum poemata
 ta

ha componuntur. Quae propter ad Graecorum authorum exemplaria ultimo hortatur. Ut qui lambi rationem uerbisq; diligentissime obseruarint, et ipse Horatius ad idem in Carminum, sed maxime in Epodon odis. Haec pluribus uerbis, contra meum morem, egi, quod Acronis commentarius hic nimium inceptit, et Porphyrius perijt.

¶ - Et plaustris uexisse poemata Thespis. Vel hoc loco uidere licet, quam multa Acronis commentario affuta sint. Ait enim tam multa scripsisse, quae posset plaustris aduehere. Corrupta tamen puto uerba. melius hic Porphyrio. Thespis, inquit, primum Tragedias scripsit, genere Atheniensis, ad quas agendas plaustris circum egregias Graeciae ciuitates uehebatur.

¶ - Et uim Dignam lege regi.

Hoc factum idem Acro ait sub Augusto, cum Poeta hic de Graeca Comedia loquatur longe ante Augusti tempora scripta, statim subiiciens Latinos omnia ausos tentare, ac sequi. Sed non uidetur Acro temporum habuisse rationem etiam in alijs.

Ingenium misera quia fortunatius arte.

Ergo, quia Democritus ingenium debilius putat arte (inquit idem) ideo miseram eam dicit. Beatius legendum in Acrone: nam ita paulo post exponit illud felicius in contextu. Risi autem illud ter repetitum, demisso capillo, et insulam Anticyram: et tex item exposuū purgabile, et quod a Democrito orta sit secta Epicurea: et si totoderit caput, nasci scetur nomen Poetae: quod caput se

natur tribus datis horis: miror quis has nugas sub alicuius docti hominis nomine ausus fuerit in uulgus edere.

¶ Respicere exemplar uitæ.) In eodem legitur, Exemplum est paradigma, exemplar *λυτίτυπον*, quod ego nūquam legi quod sciam; sed uel *πρωτότυπον*, uel *ἄρχετυπον* legendum existimo.

¶ Nec quodeūq; uolet, poscat sibi fabula credi. Hoc in loco Acronis uerba uehementer corrupta sunt, ait enim: Ordo est. Quodcunq; uelit sibi credi fabula poscat, cum Horatius contrarium dicat. Sed hæc non sunt tanti.

¶ Ut scriptor si peccat idem librarius.

Et hoc quoq; loco uix expedies quid uoluerit Acro. Quidam connectunt, scriptor librarius, quod placet. Badius repetit coniunctionē si, deinde supplet coniunctionem, & ad quem modum non fuerit difficile, etiam alios quosdam locos obscuros explicare. Ego tamen etiam si maxime possem, non facerem.

¶ Symphonia discors.

Acronis commentarius exponit symphonia, id est, cantor, concertor. Et paulò post, sine istis. i. sine cōcor di symphonia. Rursus paulò post, Trochos, inquit, Græci quaternarios uocāt, quod ubi ipse legerit, miror. Porro ad illud, Quid ni? Dij boni quantū est uerborum ineptissimorum. Sed hæc tot nunc seculis legimus absq; iudicio, & satis est Acronis uideri, cum fortassis impostoris sint, quanquam quis ille Acro fuerit, planè dubito.

Præsertim

¶ Præfertim census equestrem.

Census hoc loco participium est, & summam quadringentorum sestertiorum, intelligo cēsum equestrem ante Augustum, qui cum postea ampliauit auctore Suetonio. Quadringenta autem sestertia decem milibus ualent coronatis francicis Budæana supputatione.

¶ Tyrtæusq; mares animos in martia bella.

Hanc historiā Acro bis narrat, primū uerbis suis. Vbi ab initio Athenienses in plerisq; codicibus perperā pro Messenijs legitur. Secūdo uerbis Porphyrionis, quæ partim inuertit, pleraq; mutilauit. Multi etiam codices Diræum habent, pro Tyrtæū, & Landinus planè ita legit, sed errat. De Tyrtæo præter alios etiam Strabo lib. 3.

¶ Si uero est unctū qui recte ponere possit.

Vuctum recte appellat (idem Acro inquit) pulmentarium bene coctum. Ego unctum participium esse existimo, & unctum ponere recte, id est, bene tractare eum qui è balneo unctus ad cœnā ueniebat, more priscorū.

¶ In mala derisum semel, exceptūq; sinistre.

Acro coniungit carmen hoc cum prioribus, exponitq; in mala seriā, id est, in malas necessitates, Alij disiungunt à prioribus, connectuntq; cum posterioribus. Sed est obscurius dictum, utrouis modo coniungas.

FINIS ANNOT. IN ART. POE.

IN Q. HORATII

SERMONVM LIB. I. HEN.

GLAR. ANNOT.